



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

27. Vtrum Confessarius contraueniens huic Constitutioni Gregorij XV. &
aliorum Pontificum ex paruitate metariae sit excusandus, vel
denunciandus? Et docetur Confessarium faciem poenitenti laudando de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref. XXVI. 389

Sancius in *selectis disp.* 11. num. 20. Adde quod licet in tenore aliarum Bullarum nullum intimabatur preceptum feminis sollicitatis denunciandi Confessarios sollicitantes, sed tantum tribuebatur iurisdicção Inquisitoribus huiusmodi delicta puniendi, tamen supradictæ Bullæ aliorum Pontificum ante Gregor. XV. fuerunt usu receptæ cum obligatione denunciandi dictos Confessarios sub onere peccati mortalis; sed consuetudo est optima legis interpres, *cap. cum dilectus*, de consuetud. ergo, &c.

RESOL. XXVI.

An femina teneatur denunciare sollicitationem commissam ante promulgationem Bullæ Gregor. XV. & aliorum Pontificum? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 40.

¶ *Quæ hic est Resol.* **P**Ro affirmativa sententia in part. 1. tr. 4. ref. 25. adduxi aliquos DD. quibus nunc addo Freitas in *editione novissima de Confess. sollicit.* quest. 3. num. 15. & Hieronymum Rodriquez in *comp. 99. regular. resol.* 13. 1. num. 1. Sed ego ibi negativam sententiam docui cum Portel. & Fagundez, quibus nunc addo Antonium Soulam de *Confessar. sollicit.* tract. 1. cap. 20. n. 6. & seq. loquentem de constitutione Pauli V. Unde existimo utramque opinionem probabilem esse. Et post hæc scripta inveni recentem opinionem negativam docere etiam in terminis Bullæ Gregor. XV. Fagundez ubi *supra*, de precept. Eccl. in *editione novissima*, præc. 2. lib. 4. cap. 3. n. 47. & Soula in *annotat. ad Bullam Gregorij XV.* num. 3. ubi sic ait. Advertendum est hanc constitutionem, sive in iis, quæ ex certa scientia confirmat, sive in aliis, quæ de novo statuit & observari vult, non extendi ad præteritos lapsus, ad eos scilicet, qui ejus sufficientem promulgationem præcesserunt, nullum enim verbum in eo invenio quod oppositum suadeat; unde omnes lapsus ante sufficientem promulgationem puniendi sunt, juxta tenorem constitutionis antiquæ Pauli V. Ita ille, & tandem hanc sententiam negativam, me citato, docet etiam Antonius Novarius in *summa Bullarum rit. de sollicit.* in *confess.* num. 16.

RESOL. XXVII.

Virum Confessarius contraveniens huic Constit. Greg. XV. & aliorum Pontificum ex parvitate materiae, sit excusandus, vel denunciandus? Et docetur Confessarium faciem penitentis laudando de pulchritudine ad illiciendum eam, omitti verbis expressioribus incidere in penas Bullæ, & denunciandum esse? Ex p. 1. tr. 4. Ref. 21.

¶ *Sup. hoc in Resol.* **N**on esse denunciandum putavit Portell. in *addit. ad dubia reg. verb. sollicitare feminas* num. 4. ubi sic asserit: [Habebit hic locum ad excusandum parvitas materiae. Unde, si confessor dicat feminæ verba levia, vel aliud signum, vel opus leve faciat, indicativum amoris lascivi; quæ verba ad iudicium prudentis viri, nec sunt peccatum mortale, nec sufficientia ad persuadendum; credo, quod talis Confessor non sit accusandus. Est enim communis opinio, materiam levem, & parvam excusare in omnibus delictis, saltem à pœna Ecclesiastica, ut *supra* diximus in simili circa percussorem Clerici interius malam mortaliter, & exterius tantum venialem, ob parvitatem operis.] Ita ille.

¶ Sed contrarium docet Acugna tract. de *Confessor. sollicit.* 9. 7. per tot. ubi asserit Confessarium faciem penitentis.

nitentis laudando à pulchritudine, ad illiciendum eam omitti verbis expressioribus, incidere in penas Bullæ, & denunciandum esse. Et hæc opinio videtur mihi probabilior, & sequenda.

RESOL. XXVIII.

An Confessarius in sollicitando propter parvitatē materiae non sit denunciandus? Et inferius in peccato luxuria non dari parvitatem materiae. Ex p. 4. tr. 5. Ref. 5.

¶ *Quæ hic est Resol.* **P**Ro sententia negativa in part. 1. tract. 4. ref. 21. adduxi Portel, cui nunc addo Castrum Palaum tom. 1. tract. 4. disp. 9. punct. 3. num. 2. & 3. & Soulam in *aphorism. Inquisit.* lib. 1. cap. 33. num. 4. sic asserentem, ut sollicitans puniatur juxta hæc decreta, necesse est ut actus sollicitationis sit peccatum mortale, quod si detur, sufficit quicumque actus inhonestus. Sic ille, & de *Confessar. sollicit.* tract. 1. cap. 1. num. 7. ubi probat in tali casu non adesse obligationem denunciandi, quia excommunicatio major posita in edicto, non potest ferri nisi pro mortali culpa; nec lata pro veniali obligat, ergo, &c. Ita Soula ex inclito Ordine Prædicatorum, vir quidem doctissimus.

¶ Sed hæc opinio displicet, & ideo contrariam docet Ioannes Sancius in *selectis disp.* 11. num. 22. ubi sic ait. Quamvis manum, brachium, vel pedem feminæ premere, vellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & similia peccata, venialia sint intra genus luxuriæ, dummodo absit finis mortalis, vel pollutionis periculum, ut docent Navarius cap. 14. num. 31. Sanchez de *matriu.* lib. 9. disp. 46. n. 16. Salas in 1. 2. quest. 74. tract. 13. disp. 6. sect. 20. num. 146. & sect. 21. num. 149. & Freitas in *addit. ad tract. de Confessar. sollicit.* 9. 7. n. 28. hæc tamen si fiant tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante vel post, erunt mortalia & damnata ob gravem injuriam illatam Sacramento, ut tenet Freitas 9. 7. num. 33. quamvis enim intra genus castitatis levia ista sint intra Religionis tamen genus gravia reputantur, sicut licet intra genus temperantiæ jejuniij die modicum cibi sumere leve peccatum sit, nihilominus intra Religionis genus grave crimen est illos sumptu cibo Eucharistiam sumere. Ita Sancius ad cujus argumenta licet Castrus Palaus conetur respondere, tamen ejus opinio non est admittenda, nam daretur occasio labendi malis Confessariis, & prophandis Sacramentum, nam si ad tales tactus mulieres consentirent, Confessarius haberet intentum, si feminæ nihil agerent, & non consentirent, Confessarius impurè sine periculo denunciationis sollicitationem adhibuisset, asserendo illos tactus esse tantum venialiter culpabiles, & non inducere obligationem denunciandi. Adde quod ego puto, Confessarium, qui supradictos tactus, licet leves, in confessione cum penitentibus adhiberet, moraliter posse præsumi animum habere ulterius progrediendi, unde penitens in tali casu debet moraliter præsumere illos tactus cum malitia mortali à Confessario adhibitos fuisse, & ideo denunciationis nexu ligari, quod etiam probò ex doctrina Soula loco citato, n. 54. ubi docet, quod mulier cui Confessarius verba dubia profert, aut factum, vel signum dubium ostendit, tenetur de illo Inquisitoribus deferre; sed hoc accidit in casu nostro, ergo, &c. & ideo omnes confessarii in casu de quo loquimur, obligent penitentes ad denunciandum, unde opinio Castris Palai, Soula & aliorum in praxi minime consulendam esse puto; & post hæc scripta invenio illam meritò reprobare Fagundez de precept. Eccl. in *editione novissima*, præc. 2. lib. 4. cap. 3. num. 2. ubi etiam